SUCCINCTA DESCRIPTIO FEBRIS EPIDEMICÆ

MALAGAE NUPER SAEVIENTIS, SYMPTOMATUMQUE IPSAM COMITANTIUM, UNA CUM METHODO EI MEDENDI ADHIBITA.

AUCTORE
D. JOANNE EMANUELE AB AREJULA,

EDITA

JUSSU D. PETRI TRUXILLO,
rerum militarium civiliumque Rectoris Malagæ.

EX HISPANICO IN LATINUM VERSA
A
JOSEPHO SALOMONE FRANK,
MEDICINAE DOCTORE.

VIENNAE, 1805.
Sumptibus Antonii Doll.

PRÆFATIO INTERPRETIS.

Magnam omnino voluptatem me percepiſſe fateor, cum mihi mandatum eſſet, ut tractatum hunc, de morbo exitiali atque ad finem usque ſæculi elapſi omnibus medicis ignoto, quem febrim flavam vocant, hiſpanice conſcriptum in linguam germanicam verterem. Quo pro tenuitate virium mearum perfecto, majori lætitia perfundor delato etiam mihi negotio eundem libellum latine reddendi, ut omnibus tandem medicis innoteſcat, quibuscum ſymptomatibus

hæc epidemia conjuncta ſit, et quæ ratio ei medendi adhibita maxime ſalutaris inventa fuerit.

Cum menſe Septembri anni ſuperioris, febris flava epidemice incolas Malagæ infeſtans, magnas ſtrages ederet, Rectores Hiſpaniæ medicum Arejula, qui jam anno 1800 hac febri Gadibus ægrotantes, et anno poſt Medinæ Sidoniæ eodem morbo afflictos bene tractando inclaruit, in illam urbem miſere, ut diligenter in indolem ejus inquireret examinaretque methodum, qua in depellendo hoc malo uterentur, et quoad fieri poſſet, vim peſtiferam hujus epidemiæ cohiberet et reprimeret. Is igitur ad ſingulos ægrotos, quotquot tunc in noſocomio decumbebant, viſens eorumque conditionem mira ſedulitate explorans, novas de hoc malo obſervationes collegit neque piguit

guit eum cum hisce conferre, quæ aliis medicis obſervata ſunt, et iteratum denique experimentum methodi medendi ad lectulos ægrotantium capere. Hoc facto, hanc ſimplicem morbi hiſtoriam præſtantiſſimæque inventæ methodi enarrationem, jubente hujus urbis Gubernatore, qui nomen etiam his chartis ſubſcripſit, typis exſcribendam curavit; unde non exiguum decus atque magna auctoritas huic libello accedit. —

Præterea pro certo habeo omnem lectorem, modo medicorum ſcripta rite judicare ſciat, in hoc libro acre atque ad minimos eventus attentum ingenium ſimulque magnam diligentiam in ſymptomatibus hujus febris exponendis deprehenſurum eſſe, et quamquam notiones, quas auctor ſibi de morborum natura informavit, non accurate ſyſtematibus artis medicæ

his temporibus vigentis respondent, et nonnunquam ejus medela nimis circa symptomata sola versatur, tamen ita experientiam ducem sequitur, ut hunc tractatum inter optimos de hoc morbo libros merito numerare queamus.

Quod ad naturam febris flavæ attinet, ex sequente descriptione clare elucebit, eam febri, quam vocant putridam vel nervosam, adeo adfinem esse, ut primo adspectu hic morbus epidemicus nil aliud esse videatur, quam ipsa febris nervosa intentior.

Non negandum tamen quædam symptomata in illa febri occurrere, quæ partim nunquam, partim rarissime in nervosa apparent; contra esse alia, quæ medico hanc febrim curanti nullum timorem incutiunt, verum eadem in morbo epidemico, de quo ser-

ſermo eſt, fere ineluctabilis fati ſunt prænuncia. Hujusmodi eſt ſurditas ægrotanti obveniens, quæ olim in numero bonorum ſignorum febris nervoſæ ducebatur, et quamquam recentiores obſervationes docent, etiam hoc ſymptomate comparente multos hoc malo occumbere, alios ad ſanitatem revocari, ut adeo illa ſurditas in exitu febris nervoſæ definiendo nullum momentum habeat, tamen in morbo de quo nunc agimus, ex multiplici auctoris experientia, ſurditas in ægrum ingruens nunquam non letum præmonſtrat.

Etiam deliria, quæ medici non tantopere damnant in febri nervoſa, contra autem in febri flava erumpentia ſemper auctori timorem exitus infauſti attulerunt.

Taceo de ceteris ſymptomatibus, ne videar hæc fuſius deſcribere velle,

quæ

quæ prudens lector ex hoc libello facile accurateque cogniturus eſt.

Licet Deus Optimus Maximus et cura eorum, quorum manibus gubernacula imperii tradita ſunt, hanc peſtem a noſtris finibus arceant, credo tamen magnopere utile eſſe, ut hic libellus in manus omnium medicorum perveniat, præſertim eorum, qui artem medicam in urbibus mari proximis exercent, ut ſi caſu hoc contagium erumperet, ii quaſi armis idoneis inſtructi ſint ad hoc peſtiferum malum debellandum.

Dabam Viennæ Menſe Maji 1804.

AD

AD
ILLUSTREM PRÆSIDEM.

Opinarer me non plane vota illorum implevisse, quorum jussu hanc urbem petii, si prius abirem, quam et brevem descriptionem horum symptomatum edidissem, quæ in epidemico morbo incolas hujus urbis infestante apparuere, et simul rationem ei medendi exposuissem, jam ante aliquod tempus a me excogitatam, et quam denique experientia me docuit esse præstantissimam, meritoque omnibus aliis adhuc tentatis præferendam.

Tempore, quo Te vir illustris commonefeci, quanta utilitas ex promulgatione harum de hac epidemia collectarum observationum nasci possit, ut momento, quo rectoribus alicujus provinciæ medicis innotescit, ægrum aliquem hac febri correptum esse, ii omnia auxilia in subsidium vocare possint, ne contagiosum hoc malum nimis altas agat radices; veritas hujus rei

adeo

adeo Te commovit, ut nil ſalubrius fore mox pronunciares. Cum ſemper hoc, quamquam permultis negotiis diſtentus, mente volutares, neceſſarium duco hiſtoriam hujus morbi acuratius deſcribere, ut ſatisfaciam deſiderio Tuo, quo omnia perficere tendis, quæ utilia populo credis, cujus imperium Tibi a rege noſtro traditum eſt. Inſuper lubenter hanc occaſionem arripio palam faciendi gratum meum erga Te animum, propter honorem, quo me dignum eſſe duxiſti, qui Tuorum pro humani generis ſalute ſuſceptorum laborum particeps ſim.

DEFINITIO MORBI.

Eodem meridie 23. Octobris, quo hanc urbem ingreſſus ſum, obediens Tuo juſſo medicum elegi mecum noſocomium petiturum, quod pro infectis hac epidemia exſtructum fuit. Vix primum intravi cubiculum, cum adſpectus aliquorum ægrotantium jam me doceret, morbum nunc Malagæ ſævientem eundem eſſe, qui anno 1800 incolas Gadium locorumque circumjacentium, et anno 1801 Medinæ Sidoniæ habitantes afflixit. Ut autem pro dignitate mei officii veriſſimam deſcriptionem hujus epidemiæ Rectoribus Andaluſiæ tradere poſſem, ægrotantes quotquot tunc in noſocomio decumbebant, ſingulos examinavi;

po-

postea flexo in vesperam die, omnes convocavi medicos mihi idoneos visos ad communicandas mihi observationes, quas de hoc malo ad ægrotantium lectulos collegere. Stabilitum dein fuit, febrem, qua nunc ægrotantes laborant, *typhum icterodem vel febrim flavam esse.*

Annuebant omnes meæ artis socii huic assertioni, quo facto, eodem vespere 23. Octobris, per Te, Excéllentissimo D. Thomasio de Morla hæc nuntianda curavi, qui dein efficacissima auxilia in usum vocavit ad hoc contagiosum malum circumscribendum arcendumque.

Non mihi animus est, modo characterem hujus epidemiæ signaque ejus pathognomica, quibus eam ab aliis acutis morbis huic persimilibus distinguere possumus, systematice exponere; hunc laborem in aliud tempus differo, alioquin probe intelligens, melius faciliusque morbos dignoscendos esse accurate descriptis symptomatibus, quam si hos in aliquod systema includere studemus.

Febris, de qua nunc agitur, consistit in concursu sequentium ex mali natura depromtorum symptomatum, quam ex causis mox enarrandis nomine febris flavæ appellamus.

§. 1.

Incipit hæc febris, cujus indolem mox fuſius deſcripturi ſumus, cum horrore, aliquando cum frigore, poſt aliquas horas, pulſus fit debilis celerque, intenſior eſt quam in ſtatu naturali corporis calor, ab initio ad finem usque morbi perdurans, ſed non æquali vigore in omni febris periodo. Aeger nunc magis nunc minus perſentit dolores inſolitos per totum corpus vagantes. Imminutæ ſunt vitales vires.

Urina eſt naturalis; functiones cerebri minus vel nec hilum turbatæ; cutis color flavus vel ex pallido flaveſcens.

Plerumque febris intra tertium, quintum ſeptimumque diem terminatur.

En rationem cur hunc acutum remittentemque morbum, nomine febris flavæ appellaverimus.

§. 2.

Semper inopinate aggreſſus eſt hic morbus ægrotantes, nec ullum ſymptoma prægrediebatur, de quo ſuſpicandum fuit hanc febrim erupturam eſſe.

Symptomata, quæ in hoc malo apparent, ſæpe regularia, non raro autem irregularia ſunt.

§. 3.

§. 3.

Ad regularia ſymptomata pertinent ſequentia: horripilatio vel exiguus horror; nunquam autem frigus manifeſtum; magnus capitis dolor usque ad tempora ſeſe expandens; dolor quoque totum corpus præcipue lumborum regionem ſuperioresque inferioresque extremitates occupat; palpebræ adeo graves ſunt, ut ægrotantes vix oculos attollere poſſint. Conqueruntur ægroti de magna laſſitudine nariumque ſiccitate; lingua autem humida eſt et minus ſpurca. Flaveſcit cutis præcipue a tertio die; evaneſcit oculorum fulgor et albedo corneæ opacæ in colorem ex flavo rubentem transmutatur ita, ut minus experti credant initium ophtalmiæ, atque inflamatoriam diatheſin adeſſe. Collabitur facies, abhorrent ægrotantes omnes cibos ex carne confectos, pulſusque nunc fortem mentitur, nunc adeo debilis eſt, ut manifeſte demonſtret ita imminutum eſſe cordis vigorem, ut non amplius ſufficiat ad ſanguinem per totius corporis circuitum propellendum. Aboletur denique omne cibi deſiderium, et ſæpe vomendi conamina, hinc inde diarrhœæ accedunt. Aliquando fit, ut ambo hæc ſymptomata ſimul in ægrotantem ingruant, materiaque excreta graveolentem odorem ſpargat. Oboritur ſenſus ingratus circa cardiæ

re-

regionem ſudorque largus, atque urina bilioſa excernitur.

§. 4.

Omnia hucusque memorata ſymptomata, vel cum vel ſine ſudore 1) poſt nycthemeri ſpatium remittunt, ſuperveniente exacerbatione altero die, quam inſequitur remiſſio vel plenaria apyrexia tertio, aliquando quarto, quinto vel etiam ſeptimo die, quamquam raro. Animales functiones, dummodo febris non intenſior ſit, ab hiſce ſymptomatibus nunquam læduntur; ſemper autem evaneſcente eorum inſultu debilitas atque appetitus deletus remanent.

§. 5.

Symptomata quæ irregularia vel anomala vocamus in ſequentibus conſiſtunt; magnus horror vel frigus manifeſtum in morbi initio, inſultus febriles quidem moderati, ſed absque ordine et certa periodo incedunt. Fit ut aliquando fortior inſurgat febris, paulo poſt autem plane evaneſcat. Lingua eſt tremula, ſicca atque medio colore luteo fuscove inquinata. Cephalea magna, dolent oculi tument rubentque.

Ad-

1) Sudor quem remiſſio poſt viginti quatuor horas ſecuta eſt, ſemper pro bono ſigno habebatur.

Adveniunt magna artuum laſſitudo 1), et continua ad vomendum conamina, conqueruntur ægrotantes de onere gravi in hepatis regione, dolet cardia cum ardoris ſenſu, urgent lipothymiæ, et frigus ſuperiores inferioresque extremitates occupat 2); inſequitur vomitus nunc continuus nunc interruptus et materia eo ejecta, aut ab initio bilioſa eſt ſuperveniente poſtea atrabiliaria, aut in mali exordio jam ægrotantes materiam nigram vomitu ejiciunt. Tinguntur tali colore etiam alvinæ fæces, quæ carbonibus tritis perſimiles ſunt. Accedit anxietas ſumma, ægrotantesque nunc caput nunc totum corpus aſſiduo in lecto jactant; loquela fit balbutiens, adeſt pigrities reſpondendi vocisque raucitas; urget pharyngis dolor deglutitionem impediens; oboritur Surditas 3); apparent rubræ nigræve maculæ in illis corporis partibus quæ naturali ſitu premuntur; erumpit icterus

1) Vidi duos ægrotantes, quibus tanta artuum movendi impoteſtas ſupervenit, ut crediderint ſe paralyticos factos eſſe. Primus fuit villicus circiter 50 annorum et alter chirurgus. Ambo hac febri periere.

2) Conſtanter obſervatum fuit, ægrotantes ſemel frigidos factos nunquam iterum calorem recuperaſſe. Si in tali rerum conditione etiam debilitas pulſus obvenit, mortem inſtantem pronunciavimus.

3) Surditatem, quæ pro bono augurio in febribus putridis a me habebatur, ingruentem in epidemiam, de qua nunc agimus, certam mortis prænunciam fuiſſe ſemper obſervavi.

rus nigerque ſanguis ex faucibus, naribus et ano ſtillat; ſuppreſſa eſt urina et adeo vexat urethræ irritatio ægrotantes, ut cogantur ſæpius membrum virile arcte comprimere, quemadmodum in illis fieri ſolet, qui calculo veſicæ laborant. Denique ſingultus, frigus totius corporis et labia nigra hanc tragœdiam claudunt.

§. 6.

Non ſimul hæc ſymptomata incedunt, nec eadem mali periodo. In aliquos, quamquam rarum, tota hæc cohors, jam primis viginti quatuor morbi horis ingruit; in aliis autem poſt tertium, quintum ſeptimumve diem apparent. Vidimus quoque hæc erumpere undecimo, et etiam decimo tertio ſebris die, præcipue vomitum nigrum, cardialgiam etc.

§. 7.

Hinc inde miſeros obruit atrox, atque in furorem usque vergens delirium, quod medicum inducit ad eos arcte ligandos. Tunc ægrotantes continuo oculos circumvolvunt, nec in aliquo objecto morantur. Oboritur et ſemiſomnus ſopor. Tres perfecta mentis conſtantia ad mortem usque præditi fuerunt. Multi nec vomitu nec diarrhœa laborarunt, ſed mox frigus ob-

obduxit corpus et refpiratio oppreffa fuit. Medio Novembris fæpe petechiæ confpiciebantur, et fine hujus menfis epidemicus morbus in intermittentes tertianas quartanasque tranfivit; quod femper indicium eft epidemiam in decrementum ruere.

Dolendum cætera cutis exanthemata adeo raro occurrere in hac febri.

§. 8.

Annotandum eft, ægrotantes Malagæ hac epidemia infectos, majorem jacturam virium vitalium paffos effe, quam illos, quos Gadibus et Medinæ Sidoniæ tractavimus. Præterea nunquam hic largus ille fudor apparuit, quo multi in locis modo memoratis ab hac contagiofa febri et quidem primis morbi diebus liberati fuerunt. Solummodo hunc in aliquibus ægrotantibus erumpere confpeximus poft emetici antimonialis ufum, quibus dein tinctura corticis peruviani porrigebatur ad vires erigendas.

§. 9.

PROGNOSIS.

Conftat Hippocratis effatum ab omnidus medicis pofteriorum fæculorum, usque ab noftrum confirmatum, nempe: omnes prædictiones in morbis acutis ratione falutis et

 mor-

mortis admodum incertas eſſe; quanto incertior ideo ſit prognoſis in morbis peracutis, ad quos Hercle! febris flava numeranda eſt.

Veritas hujus rei adeo clare patet, ut quamvis expertiſſimus medicus, nunquam non hallucinetur, dum medelam primorum hoc peſtifero malo adflictorum ſuſcipit; id quod conſtanter anno 1800 Gadibus et annum poſt Medinæ Sidoniæ obſervavimus, et nuper etiam hic omnibus medicis accidit, quamquam anteriori autumno jam multos hac epidemia correptos viderunt, feliciterque pertractarunt.

§. 10.

Non raro occurrit medicum credere ægrotantem omni periculo vacuum eſſe, eumque adſtantesque mente percuti cum vident eundem ægrotantem, et quidem jam poſt aliquas horas, animam efflare. Quanto magis augetur terror, ſi hoc accidit, poſtquam æger jam in convaleſcentia verſatur, eumque in vado collocatum eſſe pronunciatum fuit. Oportet ideo nos cautos eſſe in prænunciando mali exitum ſemperque periculum timendum, niſi continuum conſtansque levamen per duas pluresque dies inſequitur.

§. 11.

Solent, ut bona ſigna conſiderari: ſi morbus modico horrore incipit, inſequente dein calore moderato exacerbationesque regulatim nychthemeri ſpatio redeunt, et æger in febris vigore nullos paucosve horrores perſentit. Porro ſi pulſus fortis eſt et lingua humida, et in omne latus decumbendi ibique inhærendi poteſtas adeſt, mentisque vires vigent.

§. 12.

Calidiore ſub cœlo natis eductisque non adeo exitialis fuit hæc epidemica febris, quam illis, qui ex frigidiori climate huc petebant; eoque majus eſt hujus morbi periculum, quantum illi, qui hoc malo corripiuntur, olim viciniores frigidiori zonæ degebant.

§. 13.

Perfecte erumpens icterus 1) in quacunque morbi periodo, bonum eſt. Melius ſi poſt ſextum febris diem apparet.

 §. 14.

1) Icterus non adeo communis fuit Malagæ quam Gadibus. Defectu autem virium vitalium fere omnes ægrotantes hic laborarunt.

§. 14.

Sanguis ſolummodo ex gingivis ſtillans, aliisque corporis cavitatibus parcens, ſpem magnam attulit fore, ut in bonum mutaretur morbus. Melius eſt, ſi hoc ſymptoma poſt ſextum diem ingruit.

§. 15.

Ad mala quamquam non ſemper lethalia ſymptomata pertinent: vomitus fuſcus nigerve, diarrhœæ ejusdem indolis et cruoris fluxus ex oris cavo. Creſcit vitæ periculum, ſi vitalis hic latex quoque ex naribus, ano, vaginaque prorumpit. Pejus eſt, ſi cardialgiæ vehementes, petechiæ, vel abortus accedunt. Fere ſemper pro lethalibus prodromis habenda ſunt ſequentia: ſingultus, mens turbata, urina ſuppreſſa, atque debilitas magna.

§. 16.

Ut lethalia quoque ſigna declaranda ſunt: manifeſtus extremitatum rigor, irrequies ſumma cum deliriis, convulſiones lotiique excretio plane abolita.

§. 17.

Si ægrotantes ante hujus febris inſultum, jam chronico aliquo morbo laborabant, e. g.

e. g. calculo. refpirationis impedimento fimul crebris fputis juncto, hæmorrhagia pulmonali, obftructione manifefta aliove gravi malo abdominalia vifcera occupante, tunc mortem prænunciavimus.

§. 18.

Superveniente hac epidemia illis, qui morbo venereo infecti funt, vel qui nimium veneris opus exercent, hi fere omnes pereunt. Exitialis ideo fuit febris flava recentibus nuptis juvenibusque nimium amore alterius fexus flagrantibus.

§. 19.

MEDENDI METHODUS.

Nil tam ingratum medico effe poteft, quam fefe obftrictum videre medelam morbi fufcipere, cujus exitus tantis dubiis premitur, et cujus adfpectus tantam naufeam movet, ut etiam illi, quos jam confuetudo induravit ad tales ægrotantes videndos pertractandosque, horrore percutiantur, dum oculos ad lectum talium miferorum vertunt inquinatum nigris luteisque maculis a bile vel fanguine, 1) ex oris cavo profluente; quibus

1) Sanguis non folum vomitu alvoque excernitur, fed etiam per nares, gingivas, aures, immo quoque per puncta lacrymalia prodit.

bus tetris coloribus aliquando etiam cutis turpatur. Fit quoque, ut tota corporis ſuperficies flavo fuscove colore (a bile in ſanguine prædominante) 1) obducatur.

§. 20.

His modo memoratis ſymptomatibus ſingulatim, vel ſimul incedentibus mutatur ægrotantium facies; concidunt oculi, nitore ſolito exſtincto, vel aſſiduo hos circumvolvunt, nec in ullo objecto morantur. Inſuper tanta irrequies urget, ut miſeri ſemper ſeminudati, medioque corpore extra lectum pendentes inveniantur. Auget tetricitatem morbi, ingruens hoc horribile ſymptoma, quo amor paternus conjugalisque, et flagrans inconceſſumque amatoris deſiderium, (quæ omnia ineffabili dulcedine animis blandiri ſolent) in faſtidium horroremque vertitur; quin immo illius adſpectum fugiunt perhorreſcuntque, in cujus conſiliis olim maximam fiduciam collocarunt, qui ſolatio labantes eorum animos erexit, et quem plus parentibus, conjugibus amatoribusque dilexere. — Talis eſt illorum conditio, qui febri flava corripiuntur.

§. 21.

1) Primus fui qui demonſtravit, bilem, quæ poſtea in hepate ſecernitur, prius jam in ſanguine formari. Vide Diſſertationem meam, de chemiæ utilitate ad theoreticam et practicam medendi artem. Gadibus 1795.

§. 21.

Non describturus sum nunc varias medendi methodos, quas ad curandam hanc febrim tentavimus, eo minus illas, quæ ab aliis auctoribus propositæ fuerunt. Solummodo hanc fusius enarrare decrevi, quam experientia me ut optimam docuit, et quæ summo cum fructu, secundum judicium omnium medicorum hujus urbis, adhibita fuit.

§. 22.

Momento quo medicus certus factus est, morbum, quem coram habet, febrim flavam esse, diligenter ei symptomata investiganda sunt, cum quibus malum exorsum est; porro quoque accurate tempus observandum, quod jam a primo febris insultu prætergressum est. Ambæ hæ conditiones ideo sedulo perscrutandæ sunt, quia certam medendi viam monstrant magnumque momentum afferunt ad curam feliciter efficiendam.

§. 23.

Aegrotans qui medici opem efflagitat in quatuor sequentibus morbi conditionibus versari potest. Nempe 1mo in febris initio regularibus symptomatibus concomitatæ. 2do Prætergressis quidem jam duobus primis

mis diebus, ſed febris cum ſymptomatibus regularibus ingreſſa eſt. 3tio morbus adhuc in exordio eſt, ſymptomata autem ſimul incedentia ad irregularia pertinent. 4to Secundo morbi die jam exacto et ſymptomata, jam ab initio irregularia fuerunt

§. 24.

In quibuscunque his quatuor morbi conditionibus ægrotans deprehendatur, ſemper medicum duabus ſequentibus indicationibus ſatisfacere oportet, primæ: evacuare bilem corruptam præcipue in viſceribus abdominalibus ſtagnantem, ad quem finem emetica, quæ ſimul alvum movent, in uſum vocanda ſunt; ſecundæ: vires vitales erigere, quod ſtimulantibus remediis perficitur.

§. 25.

In primo caſu: *ſi æger in febris initio verſatur et ſymptomata regularia ſunt*, nulla remedia adhibenda, donec febrilis horror plane evanuit, elapſa tunc decima vel etiam decima quarta hora, qua morbus initium cepit, emeticum antimoniale porrigendum, quod ſequenti modo præſcribitur:

℞.

℞. Tartari emetici gr. ij.
Cremor. tartar. ʒ j.
Solve in
Aq. commun. ℔ j.
M. D. S.
omni $\frac{1}{4}$ horæ cochlearia duo.

Quæ mixtura continuatur, donec conatus oboritur vomendi; hoc facto multam aquam tepidam bibi jubemus, qua largus insequitur vomitus; si hoc non sit, in eadem insistendum usque dum effectus votis respondet.

§. 26.

Hoc remedium non solum ventriculum exonerat alvumque movet, sed etiam transpirationem per totam corporis superficiem auget. Præstat igitur in hujus usu, minori quidem copia, e. g. omni hora cochlearium, etiam tum insistere, cum jam largus vomitus insecutus est; quo sudor lenis assidue sustinetur.

Si autem parva hæc dosis adhucdum vomitum vel alvinam excretionem promovet, tunc plane illo abstinendum.

§. 27.

§. 27.

Momento, quo evacuationes desiere, jusculum carnis ægrotanti præbendum, et post unam et dimidiam horam drachma pulveris corticis peruviani aqua diluti exhibenda. Post horam et dimidiam iterum jusculum, et æquali temporis spatio eadem dosis corticis. Vel, quod idem est, omni tertia hora pulvis ex cortice peruviano et medio tempore jusculum carnis.

Sic per tres pluresque dies continuandum, donec medicus videt, remedia effectum desideratum præstasse.

§. 28.

Sunt multi, quorum ventriculus substantiam corticis non digerere queat; talibus ægrotantibus tinctura corticis præscribenda, de qua vasculum unum eodem ordine porrigendum, quem in usu substantiæ proposuimus.

§. 29.

Si insultus febriles certa redeunt periodo, convenit quidem corticis substantia, imminuenda autem dosis remissionis tempo-

pore. — Quod etiam de tinctura intelligendum, ſi ventriculi debilitas ſubſtantiæ uſum recuſat.

§. 30.

Dantur ægrotantes, qui nulla ſiti laborant, contra autem alii, qui hoc ſymptomate ſemper cruciantur, ſed cum bibere incipiunt, jam nauſea potus inſurgit ita, ut jure dicere poſſimus, ſitim a pharyngis ſiccitate naſci. Ad hanc fugandam præſcribimus aquam cum cremore tartari acidam factam elducatamque ſacharo, aut unciam unam oxymelis ſimplicis duobus aquæ libris adjicimus, vel aquam exhibemus cum ſucco citri coctam, vel cum uncia pulpæ tamarindorum &c. &c.

§. 31.

Neceſſe eſt, ut per totum morbum venter apertus ſervetur, quo motus periſtalticus augetur, quod enemata ex aqua marina præſtant. Remedium ſane egregium, quod inteſtinorum actionem promovet, nullamque moram ſaburræ in primis viis ſtagnanti permittit, et quod ſe fortiter adverſus motum antiperiſtalticum opponit.

§. 32.

Aliquando clysmata ex aqua maris ſola adhiberi poſſunt; ſi autem hisce nimis canalis inteſtinorum irritatur, tunc aqua communi miſcenda ſunt, cujus copia augetur imminuiturque ſecundum ægrotantis conditionem medico probe inveſtigandam.

Hæc enemata bis de die injici ſolent; ſi autem vomendi conatus nimis urgent, tunc etiam quater vel amplius nychthemeri ſpatio in uſum vocari poſſunt.

§. 33.

Non raro fit, ut ægrotantes carnis jusculum abhorreant; in hoc caſu licet iis panem ſemilagineum vel alium gratum levemque cibum concedere.

Cum juscula carnis porrigantur, medicum attentum eſſe oportet, ne nimis craſſum adipatumque, et rurſus ne nimis tenue ſit.

§. 34.

Vinum quoque ægrotantibus concedi poteſt, quod in jusculo aut poſtea, ſicut illis libet, bibere poſſunt.

§. 35.

Præterea ægrotanti momento quo china uti incepit, ſinapismata ad pedum plantas applicanda ſunt. Locale hoc irritans remedium non ſolum cephalalgiam tollit, liberiusque reddit cerebrum, ſed etiam nervorum vim excitat actionemque vaſorum promovet.

§. 36.

Aliquando fieri ſolet, ut ægrotantes primis tribus quatuorque morbi diebus largam bilis copiam vomendo ejiciant; in hoc caſu multam aquam tepidam exhibemus ad vomitum faciliorem reddendum, qua methodo nonnulli perfecte ab hac epidemica febri liberati fuerunt. Nunquam autem in tali rerum conditione enemata ex aqua marina ſunt negligenda, quæ motum antiperiſtalticum intra limites coercent.

§. 37.

Si moderatus fuit morbi aſſultus, ægrotantesque mox medici auxilium imploravere, tunc remedia hucusque memorata ſufficere ſolent ad malum debellandum.

§. 38.

Sane nil jucundius esse possit medenti, nilque felicius ægrotantibus, quam si contagiosus hic morbus symptomatibus modo enarratis comitatus supervenit, remediaque effectus, quos ab illis desideramus, præstant. Multoties autem febris non tali bono auspicio ingruit, quia symptomata, quibus comitatur, medenti timorem incutiunt ægrumque præcipitem agunt in vitæ periculum.

§. 39.

Ad talia pertinent; vomitus niger et diarrhœa ejusdem indolis. Hisce apparentibus, tinctura corticis in usum vocanda, cui adjungendus liquor anodini mineralis Hoffmanni vel spiritus nitri dulcis, tali modo:

℞. Tinctura corticis peruviani ℔j.
adde
Liquor. anodini mineral.
vel
Spirit. nitr. dulc. ℥j.
M. d. u.

Si autem nimium vitales vires prostratæ sunt, tunc ætherum vitrioli hisce præferimus.

Urgente autem vomitu crebro vel ſi debilitas magna eſt, tunc ſequentia ordinamus:

℞. Extract. opii aquoſ. gr. ij.
Tinctur. cortic. peruvian. ℥ vj.
Extract. cortic. peruv. ʒ iij.
Syrup. cort. aurantior. ℥ j.
M. d. ſ.
omni bihorio duo cochlearia.

Quæ mixtura continuanda, donec vomitus ceſſat.

Loco ſyrupi corticum aurantiæ ſyrupus de meconio mihi in uſu eſt, cui adhuc adjicere ſoleo drachmam ætheris vitrioli.

§. 40.

Poſtquam vomitus plane deſiit, præſtat ægrotanti jusculi parvam copiam vel alterius nutrientis liquorem omni hora præbere. Nec enemata ex aqua marina ſunt neligenda, quæ ſæpe adhibita motum periſialticum promovent.

§. 41.

Si ægrotantes ſingultu laborant, eadem mixtura egregiam opem fert. In noſtro noſocomio ſequens medicina hiſce ordinari ſolet:

℞.

℞. Tincturæ cortic. peruv. ℥ vj.
Extracti ejusdem ℥ β.
Tincturæ Thebaic. ʒ β.
Syrup. cort. aurantior. ℥ j.
M. D. U.

Quæ mixtura ſecundum ordinem, quem §. 40 propoſuimus, exhibetur.

Si juvat hanc fortiorem reddere, tunc aliquas guttas, e. g. duodecim, olei ætherici cinamomi, huic adjicere poſſumus.

§. 42.

Pro potu concedimus vinum aqua mixtum, ita ut duas uncias vini duobus aquæ libris addamus.

§. 43.

Ut magis adhuc vitæ vires erigantur ſinapismata 1) primo ad ſuras, et poſtquam ibi vim eorum exercuere, ad alias corporis partes applicamus. Potens hoc ſtimulans remedium plerumque in tali morbi conditione veſicatoriis præferebamus. — —

§. 44.

---

1) Sinapismata Malagæ fere in quavis domo conficiuntur, ex fermento panis acidi, aceto vini et ſeminibus ſinapis. Si acriora deſiderantur, aucta aceti et ſeminum ſinapis copia, hisce aliqua Fruſtula allii adjici ſolent.

§. 44.

Si autem omnibus hisce ſtimulantibus remediis vomitus non mitigatur, vel ſi ſingultus frequens omnem deglutitionem impedit, tunc duplex doſis horum modo memoratorum medicamentorum enematibus injicienda eſt, obſervatis tamen omnibus cautelis, quas commendavimus ſi per os ſummuntur.

Præterea ſuademus in tali rerum conditione, ut ægrotantes cibum quem appetunt, maſticent ſuccumque deglutiant; quod ſæpe efficax deprehenſum fuit. — —

§. 45.

Non raro ægrotantes fluxu ſanguinis ex oris cavo vel gingivis prodeunte laborant, aut fœminis, hac febri correptis, magna uteri hæmorrhagia ſupervenit. Contra profluvium cruentum ex oris cavo vaginaque convenit aqua acido ſulphurico mixta adjecto ſyrupo de malis punicis. Ad hæmorrhagiam gingivarum autem arcendam augeri debet acidi ſulphurici copia, cui dein eundem ſyrupum de malis punicis addere poſſumus; qua mixtura ſæpe per diem ægrotantibus utendum ad oris collutionem.

§. 46.

Contra convulſiones atroceſque dolores et vomendi nimia conamina illa mixtura adhibenda eſt, quam ad vomitum nigrum tollendum ordinavimus. Sequens medicina etiam præſcribi poteſt, quam olim ordinavi et hunc quoque ægrotanti præbeo decimo ſeptimo morbi die, atque jam per duodecim dies ſingultu laboranti, cui tamen medendi optima mihi ſpes affulget: Præſcribitur tali modo:

℞. Extract. opii. gr. vj.
ſolve in
Aq. fænicul. ℥ vj.
adde
Aetheris vitrioli ʒ jß.
Syrup. menth. ℥ j.
M. d. ſ.
Omni hora cochlearium.

Quæ continuanda, donec vomitus ceſſat, et etiam poſtea adhuc de eadem mixtura omni ſecunda tertiave hora cochlearium porrigendum eſt, ut relapſus in priſtinum malum præcaveatur.

§. 47.

Lubenter etiam his ægrotantibus permiſi vinum, quantum illis placuit, et faciles

les cibos immo et carnem; ut ſuſtineatur cordis arteriarumque vigor, et vires vitales ſufficiant ad flavum illum colorem in corporis ſuperficiem expellendum.

§. 48.

In ſecundo caſu ubi *morbus ſtipatus eſt ſymptomatibus regularibus*, *duo autem febris dies jam prætergreſſi ſunt*, tunc non amplius emetica locum habent, ſed ſtatim ad corticis uſum (in ſubſtantia vel tinctura ſicuti res poſtulat) properandum; junctis tamen his remediis, quæ alvum leniter ſollicitant.

§. 49.

Semper corticis ſubſtantia eligenda, ſi febriles iuſultus regulari typo incedunt, et vires ventriculi ad hanc digerendam ſufficiunt. Methodus præſcribendi ſequens eſt:

℞. Cortic. peruv. ℥j.
Cremor. tartar. ʒjj.
Bene invicem trita, divide in 6 partes æquales.
D. u. ſ.
Omni 3 horio pulvis.

Bene attendendum ne cremor tartari nimis alvum moveat; ſi hoc fit, ſtatim omittendus et cortex ſolus adhibendus eſt.

§. 50.

Si ventriculus autem nimis debilis eſt, vel ſi vomendi conatus urgent, tunc tinctura corticis exhibenda, quæ ſic præſcribitur.

℞. Tincturæ cortic. peruv. ℔ ij.
Vini emetici ℥ ij.
M. d. u.

Providendum, ut in omni vaſculo hujus mixturæ, quod omni bihorio vel trihorio, uti neceſſe eſt, porrigitur, ſexta pars vini emetici inſit; quæ medicina continuanda, donec medicus judicat, effectum deſideratum præſtitiſſe; hoc facto, omiſſo vino emetico, in uſu ſolius tincturæ inſiſtendum eſt.

Idem de ſubſtantia intelligendum, ſi huic vinum emeticum adjungitur.

§. 51.

Sunt qui ſubſtantiæ tincturæve corticis loco cremoris tartari vel vini emetici pulpam tamarindorum, mannam, aut aliud lene eccoproticum addere ſolent. Attamen vi-

vinum emeticum vel cremor tartari magis in ufu funt, meliorque effectus ab his exfpectari poteft.

§. 52.

Enemata ex aqua maris fola, vel aqua communi aut aceto vini mixta, methodo fupra enarrata, quoque in hoc cafu adhibenda funt. Sic et res fe habet cum finapismatibus, quæ ad vitales vires erigendas, ad pedum plantas, furas etc. applicanda funt.

§. 53.

In tertio cafu, *fi medicus ægrotantem quidem morbi initio deprehendit, fymptomata autem quæ fimul incedunt ad irregularia pertinent*, fequens emeticum oleofum tali modo præfcribi oportet:

℞. Oxymel. fquillitic.
Olei amygdal. dulc.
aa. ℥ jj.
Probe mifcendo d. u.
S.
Omni quadrante parte horæ cochlearia duo.

Mo-

Momento, quo ægri deglutito hoc emetico nauſeas conatusque vomendi percipiunt, multam aquam tepidam eos bibere oportet, quam facilis inſequitur vomitus. Cavendum tamen ne hoc emetico nimis debilitetur ægrotans, quia vires ſemel proſtratæ triſtem morbi eventum portendunt.

§. 54.

Ceſſante vomitu ægrotanti carnis jusculum et inſuper cortex (non in ſubſtantia ſed in tinctura) præbendus, cui adhuc lene purgans, e. g. cremorem tartari aut tamarindorum pulpam adjungere poſſumus. Cum autem hæc leviora purgantia nondum alvum ſolicitent, tincturæ corticis ſalem mirabilem glauberi vel tartarum ſolubilem addimus, donec venter ſat apertus eſt. Omnimodo autem præcavendum, ne diarrhœa inſequatur.

§. 55.

Nunquam etiam in hoc morbi ſtatu clysmata ex aqua marina vel pura vel aqua communi, aceto vini aut oleo mixta, ſunt negligenda. Sic et ſinapismata quæ adhuc majoris momenti ſunt, in caſu de quo nunc agimus, quam in aliis hujus febris conditio-

tionibus. Applicanda ſunt ad ſuras, lumbos, brachia etc. etc.

§. 56.

Licet quoque in tali febris ſtatu veſicantibus loco ſinapiſmatum uti, quæ ut rubefacientia adhibentur. Si inſuper ægrotans obeſus eſt, atque ſufficientibus viribus præditus, tunc aliqua corporis pars eligenda in qua cantharidum emplaſtrum hærere poteſt, usque dum veſica nata eſt, quæ dein aperitur et irritantium remediorum ope in ſuppuratione ſuſtinetur. Non neglectis tamen aliis veſicatoriis, quæ ad cæteras corporis partes, uti rubefacientia applicantur.

§. 57.

Si ægrotantes magna inquietudine, vel anxietate, aut doloribus, aut vomitu nigro fuscove etc. excruciantur, tunc mixtura convenit, quam in primo caſu deſcripſimus, et quæ conficitur ex media libra tincturæ corticis peruviani cum uncia dimidia hujus extracti, cui dein additur drachma dimidia laudani liquidi, et uncia ſyrupi corticum aurantiorum. Exhibenda eſt hæc medicina quidem ad normam quam in primo

mo casu proposuimus, attamen nunc imminuta nunc aucta dosi, sicuti symptomatum vehementia hoc efflagitat.

§. 58.

Non raro fit, ut ægrotantes urinam mittere nequeant; hoc symptomate ingruente diligenter medico examinandum an ideo eveniat, quia plane abolita est lotii secretio, vel quia solummodo deest secernendæ urinæ potestas; hoc jam malum est, primum autem lethale.

§. 59.

Urinæ secretio plane abolita dignoscitur: si ægrotans nullos mingendi conatus percipit, et regio hypogastrica flaccida tangitur medicusque nullam tensionem in regione vesicæ deprehendit, et ægrotans nullos dolores attactu sentit. His signis apparentibus, fere nil pro misero moliendum est. — — —

§. 60.

Si autem ob virium defectum vel vesicæ debilitatem urina retinetur, tunc ægrotan-

tantes mingendi conatu laborant, hypogaſtrica regio nunc magis nunc minus tumet, et attactu dolor percipitur. In hoc caſu lotium catheteris elaſtici ope exiguo labore extrahi poteſt. Licet etiam antea ſequentem mixturam tentare:

℞. Opii puri grana ij.
Tinctur. cortic. peruv. ℥ ij.
Aetheris vitrioli ʒ jß.
Syrupi de meconio ℥ j.
M. d. ſ.
Omni hora cochlearium,

donec urina prodit. Hac autem brevi tempore nondum inſequente, mox ad catheteris elaſtici uſum, ut certiſſimum remedium, properandum.

§. 61.

Pro potu poſt prandium emulſio amygdalarum cum camphora, nitro et ſyrupo de meconio exhiberi poteſt. Modus hanc præſcribendi ſequens eſt:

℞.

℞. Emulsionis amygdalar. ℔j.
Camphoræ
Nitri puri *aa* ʒj.
Syrupi de meconio ℥j.
M. d. s.

Huic emulsioni etiam drachma spiritus nitri dulcis, vel ætheris vitrioli adjici potest.

§. 62.

In quarto casu: *ubi morbus cum irregularibus symptomatibus ingressus est, et medicus tunc demum vocatur exactis jam duobus diebus*, tota medendi methodus sicut in tertio casu locum habet, excepto tamen emetico oleoso, quia ad tales evacuationes vires non amplius sufficiunt; sed tincturæ corticis adhuc addi potest vinum antimoniale uti in secundo casu, vel lene purgans, quod post emeticorum usum in tertio casu ordinavimus.

§. 63.

Non raro fit, ut ægrotantes omnem medicinam respuant, vel propter ventri-

culi

culi debilitatem nullum medicamentum ferre queant. In tali rerum conditione remedia clysmatibus injicienda ſunt, quæ autem duplicem copiam hujus medicaminis requirunt, quod ore ingeſtum fuiſſet.

§. 64.

Nec minus opus eſt, quamquam medicus pro certo habet, malum jam plane ſubactum eſſe, ut roborandi ventriculi cauſa adhucdum in uſu tincturæ corticis, interjecto aliquarum horarum intervallo, inſiſtatur, donec ægrotans priſtinum corporis vigorem recuperavit.

§. 65.

Cerviſiæ uſus adeo ſalutaris fuit illis, qui Gadibus ex hac epidemica febri convaleſcebant, et etiam hic denuo experientia confirmatum vidimus, jure hunc potum in convaleſcentia magni faciendum eſſe.

§. 66.

Hæc ſunt ſymptomata, quæ in epidemia, de qua nunc ſermo fuit, apparuerunt, atque remedia, quæ ſæpe hoc exi-

tio-

tiosum malum in melius mutarunt. Nam alia symptomata, quæ fortuito huic febri obveniunt, notis artis medendi subsidiis pertractantur, ideo non opus est, ut nunc de his particulariter agam; hunc laborem in opportuniorem occasionem differo.

FINIS.

Joannes Emanuelis ab Arejula.

Don Petrus Truxillo,
Præses.